



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digres. 52. Immeritò Galenum Aristotelis illud de odoratus operculo  
criminatum fuisse, ad tex. com 137.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

conuiciendum. Aliis non item; vt auibus, & piscibus, atque ad eodẽ ouiparis, & corticatis quadrupedibus. Tum quia duriore constant materia, & cute; vt in capite 12. lib. 2. de part. an. tradidit Aristoteles. Tũ quia absq; magno lationis periculo fuissent nimio illis in volatu, & natatu impedimento. Et verò etiam aere aues, & aqua pisces ea parte susceptis, non paruum sensissent incommo- dum.

Quod igitur in aspectu, & auditu conspicitur, in odoratu quoque factum est. Non enim eodem in omnibus modo se habet odorandi instrumentũ; sed in quibusdam durius est, in aliis mollius. In quibus est mollius, vt faciliẽ pati, & lædi poterat; sic in interiori, & magis abdita parte eodẽ debuit, vallũque illi, ac sepimentũ apponi, quale oculis palpebræ. In quibus autem est durius, id cauendum non fuit, neque re minime necessaria graua natura. Ergò quemadmodũ animalia, quæ palpebras habent obductas oculis, nihil planè cernere queunt, ne in lumine quidem, nisi aperiant palpebras; quæ verò duras habet oculos, protinus vident, vbi lumen affulserit, absq; villo in ipsis motu facto. Ita quibus liberum est, nullòque obductũ vallo odorandi organum; ea præsentem statim odorẽ persentiunt: hæcque ea sunt, quæ sine respiratione odorantur. Quæ verò operum habent, & tectum organum, Attollant operculũ prius oportet, vt ab odoribus organum moueri queat. Attollitur autem respirando, & idèd non nisi respirando odorantur. Inspirando, inquam; quoniam tunc temporis dilatantur venulæ, & meatus, odorque aut liberè ingreditur, reque ipsa penetrat ad organum; aut certè sublato interiecto corpore, ita cum illò coniungitur, vt sentiri possit.

Nariũ operculum.

Venas nominat.

Venulas porò Philoponus interpretatus est nervos, quibus odorantur. Sed nisi mamillares ipsos processus intellexerit, qui tamen ab antiquis nervi appellati non fuerunt, omnino non licet interpretari. Quoniã corpora dissecantes, nullos huius sensus peculiare nervos inuenimus. Deinde nec mamillares processus, nec nervi intelligi possunt. Quoniã si dilatatis venis operculum tollitur, necesse est aut venulas ante operculum, aut potius in ipso operculo considerare, vt iis dilatatis tollatur operculũ, pateatque odori aditus. Venas itè ipsas non intelligimus, quòd ea non sentiendi, aut respirandi, aërius suscipiendi, sed nutritionis, & sanguinis instrumenta sunt: verũ meatus ipsos, per quos aër, aut odor penetrare possit: siquidẽ venas ampliori fuisse apud veteres significatione nominatas, constat ex Hippocrate in libro de principiis, in quo arteriæ quoq; & optici nervi appellatur venæ. Neque alio modo inspirando remouetur operculum, nisi quòd dilatatur, & in eo aperiuntur meatus, per quos aër, & odor ingreditur. Olfaciedũ organa, inquit Alex. in prior. lib. de Anima cap. 15. respiratione aperiuntur, & expanduntur: mox coeunt, occludunturq; quemadmodum in eorum animalium oculis euenit, quæ palpebris prædita sunt. Itaq; quod post nominatas venulas subiungitur meatus, ad explicandũ pertinet quid venularũ nomine significatum sit. Et idèd fortasse non venas dixit, sed venulas; ne venas propriè dictas intelligeremus, sed quidpiã veluti venas: quidq; hoc esset, exposuit meatus subiungens. Nã ante mamillares processuos illud est, quod cribrũ, seu colatoriu dicitur; totũ foraminibus plenũ, quæ in respiratione aperiuntur & dilatatur, odoriq; aditum præbet. *isthmi di ossa.* isthmi di ossa ab isthmi forma nominatur. Sanè quod Philoponus addit, foraminibus illi

viscosa, & emunctu diffilia excrementa contrahitur; quæ odoris sensum impediunt, inspirationeq; lecerantur; aut etiã quandã esse pelliculã superpositam, quæ inspirando leuetur; minùs probandũ est. Quoniam etiam excrementa, & essi foramina interdum occupat, id tamen accidentariũ est, nec semper ita habent: neque tam in respiratione, quã expiratione, & verò optime narium emunctione purgantur: inspirando n. ad interiora potius trahuntur. Denique non quous, sed vehemens dumtaxat inspiratio secerneret. Quod autem ait, pelliculã inspirando leuari, manifestè falsũ est. Nullam. n. eiusmodi pellem dissecantes inuenimus, quæ leuari possit; sed cerebri meningẽ mamillaribus processibus incumbentẽ, minùs foraminibus traieciã: & alteram quandam membrana, quam in libro de odoratu instrumentum 2. ponit Galenus ante ossa colatoria, continuã illi, quæ interiorẽ totam oris regionẽ, & linguam, aliisque vicinas partes complectitur. Maneat igitur, operculũ, quod Philosophus nominauit, aut os illud esse, aut alterã illam, quæ ossi obducta est, membranam: aut meningẽ potius, quæ est ante mamillares processus. Venulas autẽ, seu meatus, esse earũ partium foramina, quibus in respiratione dilatatis, pateat odori aditus: sicut apertis palpebris luci, & coloris patet accessus.

Quare inspiratio ad odorandũ ita se habet, vt palpebrarum apertio ad aspiciendũ. Vtraque autẽ est, vt velut remouens id, quod odoratum, & aspectum prohibebat. Quo remoto, vt aspectus in iis, quæ palpebras habent mollioribus obductas oculis; & in iis, quæ duris sunt oculis: ita & odoratus in iis, quæ respirant; itque quæ non respirando odorantur, eodẽ profus operatur modo. Et vt oculis palpebris custoditus præclarũ exiit aspiciendũ organũ, sic odoratus id, quod post operculũ est: pars scilicet illa anterior cerebri, quã mamillares processus nominamus.

Digestio LII. Immeritò Galenus Aristoteles hanc locum criminatum fuisse.

Galenus, dum in hunc Aristotelis incidit locum, calũniã potius, vt in aliis pleriq; rebus, quã veritatis, studio librũ scripsit, quẽ de odoratus instrumento nominauit. In quo totius nasi, & partiu eius primũ descriptione facta, neq; os nali, neque membrã illi subitratã odorandi instrumentum esse ostendit: sed anteriores cerebri sinus, ad quos uis odores, tum inspiratũ aërem penetrare affluunt. Deinde aduersus hanc Philosophi de meatũ nasi operculis, quæ in odorũ sensu aperiri debet, pronuntiatam sententiam multa inuehitur. Primũ, n. reprehendit, quòd in quam potissimũ parte odor sentiat non exposuerit. Deinde, quòd foramina, quæ in respiratione aperiuntur, parum accõmodatè cũ palpebrarũ apertione comparauerit. Oculorũ namq; palpebræ voluntario motu aperiuntur quoties volumus: non itè foramina illa, sed aëre solũ subintrante. Tũ verò quòd non explicauerit vbi nã sint ea foramina, nũ in nariũ membrana, an in alia quapiam parte. Nã si in nariũ membrana esse dicatur, (quippe alibi non videntur) aëre foris pellescente, sine respiratione aperiuntur, odorẽq; sentientur. At et ueritate opponas, aut instrumentũ quo aër in nariũ stetur: nullus tamẽ, nisi respiret, sentitur odor. Quòd si motum illorũ dicas motui cordis esse persimile, distentq; foramina aperiri, sicut & cordis officia. Aut is motus voluntarius est, aut naturalis: si autẽ voluntate fieret, siue natura, externo motore, inspiratõq; aëre opus nõ esset. Deide si uoluntariũ esset motus,

cus, nostrum esset, quoties vellemus aperire, etiam nullo inspirato aëre, sed proprium sibi teneret ordinem, interdumque suscepto aëre, fieret, interdum reddito, interdum tempore intermedio. Neque etiam responderi poterit, foramina illa dilatari ab iis ipsis partibus, quæ respiratiōem faciunt. quoniam pectus à suis musculis dilatatur, pectorisque dilatationem pulmonum quoque eo contentorum dilatatio consequitur, quos statim subit aër, ne vacuum quidquam remaneat. At quid hæc ad narium foramina dilatanda pertineat? siquidem neque os, neque guttur, dilatant partes magis vicinas, per quas ad pectus & pulmones aër transmittitur. Si narium igitur illa foramina, nec per se, nec à partibus in inspirationem facientibus dilatantur; reliquum est, ea ab incurrente aëre aperiri, vel etiam absque respiratione. Nec tamen nisi respirando sentitur odor. Quonia[m] etsi dilatata fuerint ab incurrente aëre narium foramina; odor tamē cerebrum non subit, nec subibit vñquā nisi & ipsum dilatetur, & alterum trahat spiritum, quo illius anfractus occupentur. Eo. n. attracto subibit aër & odor. id autem fit respiratio: & ideo respirando duntaxat odoratur. Quòd si non in cerebri sinibus, sed immediate post foramina fieret odoratio; vt incurrentes aër, sic odor per illa foramina ad organum odorandi penetraret, & sine respiratione sentiretur. Denique illud quoque reprehendit, quòd illa foramina operculis impositis clausa esse voluerit, quæ aër mox subeunte attolli oporteat, vt ad odorandi organum odor perueniat. Etenim ea, quæ in auribus extant, clausa non sunt. Meliusque est & optandum magis, vt quilibet sensus semper sit ad operandum aptus; quàm tunc duntaxat, cum spiritu trahimus: potiusque esset in perpetua operatione versari, nec ab agendo vñquā desistere, si fieri posset; quàm in otio & quiete magnam temporis partem degere. Et ceteri sensus quamdiu eorum obiecta præstò sunt, ea sentire possunt, atque in illis sese exercent. Hæc sermè aduersus Aristotelem disputauit Galenus.

In qua disputatione, neque os nasi, neque membranam odores perferre, verè arbitror esse affirmatum & Aristoteli consentaneum. Quoniam ossa omnis sensus expertia sunt: neque in membrana, sed in alia magis recondita & interiori parte intellexit is nos odorari, cum organum post operculum & meatus posuit. Non item verè pronuntiaro aio, anteriores cerebri sinus, tum aërem & odores suscipere, tum eorum sensum habere. Nam vt eum mittam leuibus omnino fuisse argumentis persuasum: nullus est meatus, quo ad illos, vt ad pulmones per arteriam asperam, ducatur aër. Sed substantia cerebri tota est solida, nec aëri aut odoribus peruaia. Nec quæ aëris est necessitas in pulmonibus ad cor refrigerandum, ea est in cerebro, frigidissimo membro. Neque credendum, in illis sinibus aërem misceri cum spiritu, quem ad sensum & motum efficiendum oportet esse purissimum, & frigore cerebri satis superque temperatur. Hoc verò cum iis consentit maximè, quæ singulis propè momentis experimur. Nullus, n. est, qui nesciat & in seipso non sentiat, frigidum aërem, præsertim si tenuis sit & capitis futuras penetret, plurimum obesse capiti; membro scilicet sua natura perfrigido. At quantum magis obesset, si sinus ipsos tam largè subiret? Et qui credi possit ita fuisse à natura institutum? Quòd si aër ad sinus non penetraret, nec penetrabit odor, neque in illis erit illius sensus. Neque video cur in toto illo

cerebri meatu, quo ad sinus duceretur, non item sentiretur, antequàm penetraret ad sinus. Quid. n. tandem nisi colore & frigore, sensibus omnibus inimico, differunt illi à toto reliquo cerebro? Denique vt ceteri omnes sensus operantur netuis, cur odoratus quoque non operetur? Sed venio ad Aristotelis accusationes.

Ea prima est; In qua potissimum parte sentiatur odor, Aristoteles non exposuit. Immo verò & ex aspectu organo diligenter inuestigauit, & apertis satis verbis exposuit; cum eam partem esse significauit, quæ operculo aperto & meatibus dilatatis odores suscipit. Neque verò hoc modo loco, sed & in lib. de sensu & sensili, institutam scripsit respirationem, tum ad cordis refrigerationem, tum ad aperiendo meatus ad cerebrum, vt sentiremus odores. Et in 5. lib. de animalium procreatione cap. 2.

quæ animalia nares habent productiores, melius olfaciunt; vt Laconici catelli: quoniam motu odorum longum habent & rectum. Et omnino vbi que voluit in ea parte, quæ est supra nares, fieri odorū sensum. Neque. n. nos eos sentimus, nisi postquam superiorem illam narium partem peruaferint. Hæc autem pars, neque est os, neque membrana: quoniam in iis operculum & meatus sunt. Sed id, quod ea proximè consequitur; nempe mammillares processus, velut nerui ad sentiendum aptissimi, ex cerebro ad hunc sensum non minus, quàm ad cætos, erumpentes: & quidem crassi, si crassos Galenus postulet. Tamen eos veteres non appellauerunt neruos; quòd cranium non egrediantur, neque magnopere videantur à cerebri substantia differre velut quædam ipsius tubera. Propterea processibus illis lætis læditur odoratus; & opus est aërem inspirare, vt odoremur. Nam etsi odore nasus compleatur, nihil senties, si anhelitum cohibueris; quòd inferiorem locum non attingat odor. Neque aliud est ibi quidquam ad odorandum aptum. Os. n. caro, membrana, cartilago, cutis, ad percipiendos odores parum sunt accommodata. Nerui autem, qui eò à tertia coniugatione ducuntur, ad inferiores quoque narium partes, non ad sensum, sed ad motum; neque ad nares modò, verum etiam ad genas, labia, & alias propinquas partes extenduntur; & si vilius sensus, tactus, nò odoratus, capaces sunt. Denique anterior cerebri pars cunctorum sensuum quoquo modo principium est: neque inde ad olfactum quidquam aliud ducitur, quàm hi processus.

Sane cerebrum omni sensu carere prodidit Philosophus in 3. li. de anim. hist. ca. 19. & in li. 2. de eorumdem partibus cap. 7. & 10. At processus illi, etsi ex cerebro deriuantur, minus tamen sunt molles, mutataque temperatione sensum habere possunt. Nam nerui quoque ex cerebro substantiam accipiunt; quæ durior effecta & sicciior singulare sentendi instrumentum existit: habentque hi processus nerueam substantiam, etsi inter neruos propter significatam causam non numerentur. Odor verò vt est calidus & siccus, sic frigidum & humidum organum postulat, & ideo in lib. de sensu & sensili ca. 2. & 5. huius sensus organum circa frigidissimū & humidissimū cerebrum esse dicitur. Organum namque potest esse id esse oportet, quod actu est obiectum.

Altera accusatio est; Foramina, quæ in inspiratione aperiuntur, parum accommodata Aristoteles cum palbebrarum apertione comparauit. At omnes norunt, exempla & similitudines, quæ ad rem quāpiam explicandam adferuntur, omni ex parte conuenire

Operculum palbebrarum similitudo.

○○○ iij

non oportere: sed satis esse, si in eo, ad quod ostendendum proponuntur, conueniant. Nunc autem ut animalium quorundam oculis appositæ sunt palpebræ, quæ nisi aperiantur non cernuntur colores: ita odoratus organo additum est operculum, quod nisi tollatur, non sentiuntur odores. Ex quo illud etiam soluitur, quod tangit Aueroes; ex hac similitudine videri consequens, hominem odorari melius, quam animalia illa, quæ organum habent sine operculo: sicut melius vident, quam ea quæ absque palpebris oculos duros habent. Non enim in omnibus, sed in eo solo, de quo agitur, querenda similitudo est.

Palpebrarum motus.

Quamquam & illud negari posset, quod Galenus accipit; palpebrarum motum prorsus voluntate mouentur. Neque solum dum clauduntur dormientibus & euigilantibus aperiantur: sed etiam in hoc perenni motu, quem clausæ & dilatatae inuigilia faciunt. Ea; sola ex parte voluntati subsunt & appetitui, quæ & concitiorum & tardiorum motum facere possunt, atque ex consilio interdum claudere & aperire. Verum de foraminibus illis tantum dici potest. Non enim ingrediente aere aperiantur, ut ille putauit; sed respirantibus nobis. Quoniam ut respiratio dilatatur thorax, ita superior illa narium membrana distenditur, aperianturque foramina. & ut respiratio absolute quidem est naturalis motus, sed qui volentibus nobis celerior & tardior fieri possit: ita & de illis foraminibus intelligendum est. Quare & nihil nobis cogitantibus aut etiam dormientibus, tum sit respiratio, tum foramina dilatantur; distenta scilicet membrana, quæ ad defensionem organi fuit apposta, minutis que tractata foraminibus, ut tum aeri & odoribus, tum pituitæ & excrementis cerebri esset peruia.

Ut aperiantur foramina.

In qua parte sit foramina.

Tertia Galeni epiminitio est; Aristotelem foramina quidem nominasse, sed minime explicasse in quam parte ea sint; in membranæ, an in alia quam. Ceterum meminisse poterat summa illius breuitatis, quam in omnibus locis perpetuo seruauit; nec suam Galenus in aliis debuit uerbo sitatem postulare. Homini namque breuitatis studiosissimo, apud quem sententiarum ferè, quam uerborum, maior est numerus, satis fuit dicere, operculum dilatatis meatibus remouendum esse, ut meatus illos & foramina in illo ipso operculo, hoc est in membrana, esse intelligeremus. Sed hoc ipsum sibi uoluit, cum operculum palpebris acolorum, dilatationemque foraminum aperiendi palpebrarum analogam esse tradidit. ut enim palpebrarum aperiendi in ipsis palpebris consideratur; sic dilatationem foraminum non in alio, quam in operculo illo, hoc est in membrana, intelligi uoluit. Appulso enim aere pellitur quidem membrana, sed non aperiantur, nec dilatantur foramina, nisi accedat respiratio: quia non aperiantur, nisi distendatur membrana; hæcque respiratio distendit, dum circumiectæ partes attolluntur. Eiusmodi enim quidpiam fit in capite, quale in thorace, & pulmonibus cernimus. Siquidem tum thorace, tum capite, respiramus. Deinde ipse met Galenus argumentatur; quoad loca plena sunt aere, ad ea non posse externum aere ingredi; sed in spiratione opus esse & dilatatione, qua interior aere attrahatur & exteriori detur locus. At licet aere membrana impellatur, nisi tamen respiret animal, non aperiet foramina ad ingrediendum; quoniam totus interior locus est plenus. Quod si respiratio accedat; illa ipsa, quæ acri locum dilatatur, membra-

A nam quoque distendit; aperitque uias, per quas ingredi queat. Non ita autem, dum respiramus, distenduntur os, guttur, & arteria aspera; quoniam satis est amplitudine sua naturali patere; neque amplius distendi possunt, cum sint aut offese aut cartilagineæ partes.

Quarta demum accusatio tota est calumniosa & falsa: aut ex eo profecta, quod Aristoteles sententiam minime assequutus sit accusator. Nequaquam enim uoluit Aristoteles foramina illa membranis appositæ uelut operculis clausa esse: quia in re lapsus quoque uideatur fuisse Philoponus; tamen non affirmando, sed dubitando loquutus. Neque operculum, quod nominauit, foraminibus appositum esse dixit, sed interiori odoratus organo; sicut palpebræ oculis, quibus nullum aliud incumbit operculum, quod uidentur remoueri oporteat.

Nimio igitur contradicendi & calumniosi studio ductus fuit Galenus ad eum describendum libere immeritoque Aristotelem reprehendit, cuius hæc est uerissima de odoratus organo sententia. Odoratus organum anteriores esse cerebri processus, uelut neruos; iis uero in permixtis animalibus appositam esse membranam minutis tractatam foraminibus, sicut plurimorum oculis adsunt palpebræ.

Ea uero foramina dilatari oportere, ut odoratum organum subeat: idque respirando fieri. Atque hanc esse causam, cur animalia quædam respirando odorantur, alia sine respiratioe hoc sensu potantur.

TEXTVS.

Καὶ δὲ ὅτι τὸ πρὸς τὴν ἀνοσμία καὶ ἐξ ὀσμῆς ἔστι τὸ ὀσμητικὸν ὄργανον ἐστὶν ἡ ἀνοσμία, ὅτι τὸ πρὸς τὴν ἀνοσμία καὶ ἐξ ὀσμῆς ἔστι τὸ ὀσμητικὸν ὄργανον ἐστὶν ἡ ἀνοσμία.

D Et propter hoc quæ respirant, non odorantur in aqua; cessarium enim odorari respirando. Hoc autem fieri in uermis non potest.

COMMENTARIVS CXXXVIII.

Hæc uerba sententiam aperte continet. Quippe ex iis, quæ proximè dicta sunt, deductis, animalia ea, quæ respirant, odores in aqua non sentire; ut uermes. Causa autem est, quoniam ea non odorantur, nisi respirando: quare cum in aqua nequeant respirare, sed solum in aere; in aere, non in aqua, odores sentiant.

Dubitatio tamen afferunt animalia illa, quæ accipitis dicuntur esse natura; possuntque, & in aqua, & in aere vitam ducere. Philoponus ea credit, ut accipitis nature sunt, sic accipitem quoque odoratum habere: atque in aere quidem respirando, in aqua uero sine respiratioe odorum sensum habere. Sed aut illa operculum habent in odorandi organo, aut non habent. Si habeant, omnino in aqua, & sine respiratioe odorari nequeunt: siquidem in ceteris necessaria est respiratio, ut dilatentur meatus, operculumque tollatur. Si autem non habeant, nec in aere quidem indigent respiratioe: sicut nec apes, nec animalia eiusmodi, quæ in aere uiuentia odores sine respiratioe sentiunt. Eodemque modo de illis fortasse uerius fuerit affirmare, ea nec in aere, nec in aqua respirando odorari. Et ideo Aristoteles quædam distinguendo, quæ respirando, alia, quæ non respirando odorantur, animalia omnia comprehendit: quod

quod ea, que accipiuntur naturæ sunt, communem cum illis, que perpetuo degunt in aqua, odorandi modum habeant. Quare in 4. lib. de an. hist. cap. 8. eodem modo, quo de aquatilibus ceteris, delphinos dixit non habere manifestum odoratum, & auditus organum. Et quamvis aliquam in illis arteria, & pulmonibus spirationem pluribus in locis idem ipse Philosophus posuerit; naribus tamen nullam, que ad odorandum referatur.

TEXTVS.

*Est autem odor siccus, sicut sapor humidus.*

*Est autem odor siccus, sicut sapor humidus.*

COMMENTARIVS CXXXIX.

Quoniam hactenus odorum naturam, & species ex saporibus explicauit; ne quis fortasse existimaret odorum, & saporum eandem rem esse; antequam hunc sermonem absolueret, indicare vult, quomodo hæc duæ qualitates distinguantur. Distinctio autem est; quod odor est siccus, sapor humidus.

Quæ verba magnam videntur habere difficultatem. Tum quia si, vt in tex. 95. significatum est, & aperte magis traditum in lib. de sensu, & sensibili cap. 5. Omne corpus lapidum est odoriferum, & contra; fieri non potest, vt in eodem corpore duæ contrariæ, & pugnantæ qualitates dominantur. Tum quia liquores multi sunt valde odoriferi; in quibus sanè siccitas dominari non potest. Tum demum quia odor est in corpore tenui, & vaporoso; tenuitas autem, & vapor abundante humido, quod alieno termino facile terminetur, orti videntur. Multa etiã lapida non humore, sed siccitate abundant; vt aromata, & alia quædam; absinthii que exhalatio sicca est, & valde amara.

Verum si sapor in quodam succo consistit, nec nisi humido gustatur; linguaque nimis arida nullum habet saporis sensum; & ideo sicus cibus humectandus salina est, vt gustetur: Manifestum profecto est, saporem esse humidum, & succulentum corporis. Odorem autem non nisi calore dissolueret reddunt odorifera corpora; vt videre est in suffitu. Frigus enim, & gelatio, vt inquit Aristoteles, odores delent; quoniam extinguunt calorem, qui mouet, & gignit. Fit enim odor actione caloris; non cuiusuis, sed tenuantis, & odoriferum halitum ressoluentis; hicque calor est siccans. Propterea temperant odores magnopere nimium cerebrum frigus, & humorem; quod calidi ipsi sint, & sicci. Odoratur etiã acutis halitibus nares subeuntibus; qui nimium siccitatem ostendunt. Et in floribus ij maxime olct, qui in dumetis, & spinis, que siccitatem indicant, nascuntur. Et violæ, rosæque melius olere videntur languentes, cum sicciores sunt; quam matutino tempore, quo virent maxime, & plurimum humorem habent: immò siccarum rosarum maximus est, & suauissimus odor.

Porro hunc locum melius interpretari non possumus, quam ipsemet Aristoteles in lib. de sensu, & sensibili interpretatus fuerit. Primum enim in cap. 4. saporem accipiens in humido aqueo versari, aduersus Empedocle, & Anaxagoram ostendit, aque

non inesse actu saporos omnes: quoniam arborum fructus decerpti, etiam aquam non attrahant, magnam tamen saporum mutationem faciunt. Deinde saporis materiam statuit esse humidum; quia in humidum facile inducitur sapor, non in siccum. Aquam enim permixto corpore dulci, aut amaro, dulcis fit, aut amara; non item terra, aut cinis. Iam hoc humidum non est æreum, sed aqueum. Tum quia inducitur in aquam, non in ærem. Tum quia æreum humidum odoriferi potius corporis est, facileque exhalat, & euanesceat: sapor autem in re consistente esse debet. At solum humidum aqueum non est sapidum. Nullum enim corpus simplex sapidum; &

quæ aqua perfectior, ea minime lapida. Oportet igitur humidum aqueum aliquid pati, non à calore solo: quoniam cum sapor sit crassior succus, quæ aqua, crassescere aquam oportet, vt fiat lapida: at à calore tenuatur potius, & rarefit. Præterea patitur vnumquodque, & mutatur à contrario; humido contrarium est siccum. Hocque non erit igneum; sed terreum. Tum quia terra maxime est sicca, vt est in tex. 23. posterioris lib. de ortu, & interitu. Tum quia igneum siccum est tenue, quod exhalet, & euanesceat, potiusque ad odorem spectet. Ergo terreum siccum cum aqua miscendum est, quod densior ea, & corpulentior euadat. Miscetur autem calore agente, & aqueum humidum per siccum terreum percolante. Quomodo enim aqua maris fit salsa terreo halitu permixto; & sal salus terrei sicci, & humidum aquei permixtione; & lixiuui amarum, aqua per cineres colata; & subterranæ aquæ, dum per alias, atque alias terras, aut bituminosas, aut sulfureas præterfluunt, alios, atque alios saporibus imbuunt; ac demum quælibet aqua, dum colores, aut saporos quoscumque lauat, eos ipsos combibit: ita nimirum calore terreum siccum cum humido aqueo permixtione, humidumque per siccum colante gignitur sapor. Etque sapor passio quædam in humido facta à sicco, que gustatui afficere, & in actum mutare apta est. Itaque humidum saporis materia est, tamquam id, quod à sicco patitur: siccum autem agentis vim habet simul cum calore, velut concausa.

Ex alia verò atque alia caloris coctione, & permixtione, alios, atque alios saporos gigni, testantur carnes, que igne coquantur; & arborum fructus, qui calore solis optimè miscende, & digerente siccum cum humido maturantur.

Ita saporem definiuit Philosophus passionem esse à sicco factam in humido, gustatum, qui sit potestate, vim habens alterandi actum. Passionem enim esse dixit, hoc est patibilem qualitatem: à sicco factam in humido; quia siccum in humido susceptum, & cum eo à calore temperatum, gignit saporem, qui, vt obiectum vnumquodque sensibile, gustandi facultatem potest afficere, atque ad actum traducere.

Vt ineptierit planè Democritus, quem Theophrastus lib. 6. de causis plantarum saporos testatur ex figuris generasse: ex acuta amarum, & asperum, ex rotunda dulcè, ex aliis alios. Vt quemadmodum figuræ se habent ad tactum, aut lædendum, aut oblectandum, ita se habeant ad gustatum saporis figuris illis constantes. Atque ad eum iure optimo Auerroës in com. 105. & in 5. colliget cap. 27. Galenum reprehenderit, tamen sectatores habuerit Thomam de Garbo quæst. 71. Medicinalis summa, & Conciliatorem differ. 145. & alios quosdam medicos. Is enim in 4. lib. de Simpl. medic. facul. saporos voluit ex actiuis qualitatibus perpendèdos esse.

*Quomodo sapor generatur*

*Saporis definitio*

Sapores  
ex passi-  
uis qua-  
litatibus  
iudica-  
ri.

Contra ostendit Auer. ex passivis potius iudicari debere. Sicut enim color non ex actiuis spectatur, quia idem color in corpore calido reperitur, & in frigido; atque in duobus corporibus calidis, vel duobus frigidis contrarij omnino interdum colores sunt: sed ex passivis; ex varia, inquam, lucidi, opaci, & perspicui permissione. Et odores item non ex actiuis, sed ex varia permissione & proportionem humidi cum sicco. Ita etiam sapores ex diversis mitionibus ac proportionibus sicci cum humido spectare oportet. Quam ob causam cum contrariis qualitatibus actiuis idem sapor reperitur: vt dulcedo in lacte frigido, atque in sacaro calido; amaritudo in absynthio calidissimo, & in oppio frigidissimo. Quidam etiam fructus immaturi sunt dulces, qui deinde paulatim amarescunt; alij amari sunt immaturi & sensim dulcescunt: omnes vero immaturi sunt frigidi & maturantur calore. Ac demum quidam paulatim dulcescunt absque ullo calore, vt apparet in mespilis. Ex quibus cognoscimus, calorem & frigus perinde se habere ad dulcem & amarum saporem: neque ex illis diversam saporum naturam spectandam esse, sed ex diversa potius humidi & sicci permissione. Quamquam plerumque fit, vt amaritudo oriatur ex calido; quoniam calidi est humorem dulcem & tenuem extrahere; quodque siccum & crassum remanet, amaritudinem parit. Neque tamen hoc semper necessarium est; vt patet in oppio: atque ex sicco potius crasso dominante amaritudo spectanda est, atque adeo in omnibus saporibus ex tali aut tali humidi & sicci mitione: quamvis ea, vt ab efficiente causa, a calido sit aut frigido.

Quis-  
modo  
generatur  
odor.

Eodem modo in cap. 5. eiusdem li. de sensu, & sensili odores fieri philosophatur Philosophus. Quæcûq; odore carent, sapore quoque carere animaduertimus: & contra, quæ odorem emittunt, sapida item sunt. Elementa omnia odorem nullum habent, sed nec saporem, nisi quid cum illis permixtum sit. Mare odorem habet, at sapidum est. Lapis caret odore; quia & sapore. Ligna odorifera sunt, quod & sapida: minus vero ea, quæ aquatica. Denique aurum inter metalla est sine odore, quia est sine sapore: æs & ferrum odorem edunt, quoniam & saporem. Permissione igitur sapidi humidi seu sapida siccitatis (vtrouque enim modo loqui possumus; quoniam tum ex humido, tum ex sicco, fit sapor) gignitur odor. Et vt sapor fit sicco terreo permixto cum humido aqueo, humidoque per siccum percolato, cooperante calido: ita si humidum sapidum permisceatur cum sicco, atque in aere & aqua non vt perspicua sunt, sed vt sapida illius humiditatis aut siccitatis lauatina aut deterfina, abluatur aut detergatur; efficitur odor, cooperante calido. Itaque odoris materia sunt aër & aqua, quatenus sapidam humiditatem aut siccitatem lauare possunt aut detergere. Quod enim (inquit Philosophus) est sapor in aqua, hoc est in aere & aqua odor. Efficiens autem causa est sapida siccitas cooperante calore. Sapor enim statim ex terreo sicco permixto cum humido aqueo gignitur. Odor vero præter hanc permissionem opus habet exhalatione à calore facta; vt in sufficientis cernitur. Et ideo prius Aristoteles exposuit, quid sit sapor, deinde quid odor. Quoniam prior est & simplicior saporis, quam odoris generatio. Siquidem calore in sapidum corpus agente excitatur odor: quæ de re etiam in 12. & 13. sect. probl.

Cum igitur ita se habeat saporis & odoris natura, & vterque sicci & humidum permissione conueniat, sapor tamen hoc loco magis esse humidum affirmauit, quoniam in succo, & humido aqueo potius siccum consistit, cui admisceatur siccum. Et ideo in aquam sapidum corpus infundas, eundem tamen saporum contrahit. Quod si in corpus siccum infundas, nullum concipiet saporum. Deinde quoniam non nisi humido gustatur sapor. Humidum enim linguam esse oportet; & si fuerit sicca, sapor non sentit. Quare nisi corpus sapidum sua conditione sit humidum, vt vinum; necesse est & ipsam & linguam externo humectari humore. Odor autem sicci potius esse dixit; quoniam igne potius nature est, & calore resoluitur, cum; exhalatione sua, spargitur & sentitur: nec nisi siccata corpora odorem reddunt, humectata non item. Quod fit, vt quædam eadem corpora & sapida sint & odorifera; quæ tamen maxime humida sunt, maximum saporum habent & odorem paruum: contra quæ maxime sicca, plurimum olent & parum sapiunt. Quare cum Philoponus odorem esse igni sicci interpretatus est, calorem excitantem odorem respexit. Sed siccum potius illud sapidum, hoc est terream, intelligendum est, cuius permissione cum aere & aqua dixit Aristoteles odorem fieri. Nam quod spectat ad ignem; is non quatenus siccus, sed quatenus calidus est, in odorum natura operatur.

Odor ergo calidus est & siccus: calidus, propter calorem, à qua excitatur & exhalat: siccus, propter sapidam siccitatis materiam, qua constat. Quam ob causam & in lib. de sensu & sensili odores florum per se suaves, nec vlla ex parte ad nutriendum vitales factos fuisse dixit à natura, vt nimium crederent frigus, & humorem temperarent: & hoc loco totam odoratum tractationem concludens adiungit, odorandi organum potestate esse tale, qualis actu est odor. Sic enim habet.

## T E X T V S.

Τὸ δὲ ὄσφρητικὸν αἰσθῆλον, διὰ τὴν τῆσιν.

Odoratum autem sensorium, potestate huiusmodi.

## C O M M E N T A R I V S C X L.

Quæ verba Philoponus, Simplicius, Auerroës, alique complures de odorandi facultate intellexerunt: vt quod in generali sensuum consideratione antea dixerat, sensum esse potestate id quod actu est obiectum sensile; fierique actu sentiendum; hoc ipsum nunc de odoratu dicitur.

Sed de aspectu & auditu eadem verba pronuntiauit Philosophus, si post generalem illam sententiam de odoratu id affirmare voluisset. Deinde cum sensorium nominetur, nescio quomodo facultatem, & non organum ipsum, intelligere possumus. Ego & organum interpretabor, & hanc sententiam non minus, quam antecedentem, illi persimilem esse affirmabo, quam in eodem libello iam sæpius citato pluribus explicauit. Cum enim odorem dixisset esse sicci, organum odorandi sub-

*Q*uod si potestate sit tale, qualis actu est odor. **A** simul corpore semper reperiantur; & uterque la-  
 Quod si potestate sit tale, actu erit contrarium: uabilis sit, odor in aere & aqua, sapor in aqua.  
 hoc est actu humidum, potestate siccum. Adde Ac demum uterque est qualitas alimenti, & ex  
 etiam actu frigidum, potestate calidum: siquidem vtroque alimenta dignoscuntur. Quamquam ea  
 odor calidus quoque est. Hoc autem organum est ex parte plurimum differant, quod & diuersorum  
 cerebrum, quod in memorato libello frigidissi- sensuum obiecta sint, & sapor magis humidi, odor  
 mum & humidissimum esse dicebat, odorumque magis siccus. Quare & odor quispiam existit,  
 calore & siccitate temperari. qui non alimenti est, sed delectationis, atque ad  
 cerebrum temperandum totus refertur; odor in-  
 quam florum.

**Q**uæ duo loca si coniunxisset Galenus, multo minus criminatus fuisset, Aristotelem non indicasse in quam parte sit odorandi organum. Apertis enim verbis explicauit esse in cerebro. Quibus si adiungantur paulo superiora, quibus odorandi sensorium in quibusdam animalibus dicebat esse obductum operculo, in aliis non item; apertoque operculo fieri odoratum; manifestum fuerit, eum in anteriori cerebri parte, hoc est in mammillariibus processibus, vim odorandi posuisse.

DE GUSTATV.

C A P. X.

T E X T V S.

*Tὸ δὲ γευστὸν ἔστιν ἀσπῆν τῷ ἄρῳ ἄσπῳ ἢ μὴ εἶναι αἰσθητὸν διὰ τὸ μεταξὺ ἀλλοτρίων ὄσμων σμικρῶν. ἔδεται γὰρ ἢ ἀσπῷ.*

*T*extus. Gustabile autem est quoddam tactile. Et hæc causa, ne sit sensibile per medium alienum corpus existens. Neque enim tactus.

COMMENTARIVS CXLI.

**D**e gustatu nunc quarto loco sermonem esse, manifestum est. Nam cum superius dixisset in tex. 75. omne quidem obiectum sensibile sentiri per medium, hocque in aspectu, auditu & odoratu, perspicuum satis esse; in gustatu autem & tactu, etsi res paulo obscurior sit, posterius tamen docendum esse, quemadmodum in illis quoque se habeat: nunc etiam priorum sensuum, tanquam nobiliorum & notiorum, explicatione perfecta, reliquos duos aggreditur. & priore loco gustatum: eadem scilicet methodo, qua de prioribus disseruit; siquidem gustatus & manifestior est, & verò etiam nobilior & melior tactu.

**Q**uod tum ex eo cognoscitur, quod natura, quæ ab imperfectis principium facit ad perfectiora progrediens, à tactu ad gustatum ascendit. Et ille quidem est primus omnium sensuum, hic autem secundum habet gradum. Tum ex eorum organis & obiectis. Nam gustatus determinatum habet in vna aliqua corporis parte organum, tactus sparsum & quasi incertum. Gustandi; obiectum sunt sapores, qualitates secundæ ex primis genitæ; & multo illis meliores, quæ ad tactum pertinent. Denique post odoratum propter obiectorum coniunctionem agere de gustatu oportuit. Namque & ex iisdem principis oriuntur odor & sapor, omneque odoriferum corpus est sapidum, & omne sapidum odoriferum. Immo in lib. de sensu & sensibili cap. 4. odor & sapor dicuntur esse eadem ferè passio; quod ex eadem permissione oriuntur, & in eodem

**E**rgo ut cæteris sensibus fecit, sic in hoc principium faciens ab obiecto, & in facultatis cognitionem deducens; gustabile accipit esse quoddam tactile, & idè sine externo medio gustari. Quoniam eiusmodi sensus est tactus, ut obiectum suum absque alieno medio percipiat. Quæ verba èd spectant, ut hic sensus à cæteris omnibus distinguatur: siquidem antea dictum fuerat diuersam illius esse à prioribus tribus naturam. Nam etsi hoc habeat cum illis commune, ut per medium aliquid operetur, quoniam hoc omnis sensus postulat: ea tamen ex parte magnopere differt, quod externo illi corpore interiecto indigent, aere aut aqua; hic internum duntaxat medium habet, obiectumque oportet omni externo corpore remoto sentiendi organum tangere. Quare in re conuenit quidem gustatus cum tactu, sed ab eo distinguitur obiecto; quoniam gustatus obiectum est gustabile, tactus autem tactile. Et quamuis gustabile sit etiam tactile, non est tamen quoduis tactile, sed determinatum quoddam. Neque retrò commere licet, omne tactile esse gustabile, sicut omne gustabile est tactile.

**I**taque quod in tex. 94. gustatum dixit esse quemdam tactum, & nunc gustabile esse quoddam tactile; perperam illi acceperunt, qui formaliter interpretati sunt, quod eandem linguam & gustare viderent & tangere. Quasi verò hoc argumento non probaretur, nullum esse sensum præter tactum; cum in omnium organis vis tangendi vigeat. Et non dixerit idem Philosophus in tex. 88. compendio naturam delectari, vnoque ad plura opera uti; tum aere ad cordis refrigerationem & vocem; tum lingua ad gustandum & loquendum, adde & ad tangendum. Et rursum in tex. 112. argumentum illud non responderit aliquam fortasse vim habiturum fuisse, si non linguam modò, sed reliqua item corporis caro ut tactilia sentit, sic gustabilia quoque gustaret. At dum non ita est; & omne quidem, quod gustat, tangit, omneque gustabile est tactile; sed non gustat omne, quod tangit, neque omne tactile est item gustabile: manifesta cognoscitur obiectorum horum & sensuum distinctio. Quam ob causam non dixit, gustatum esse tactum, aut gustabile esse tactile: sed illum esse quemdam tactum, hocque quoddam tactile.

**N**emo tamen hinc deducat gustabile esse speciem tactilis, gustatamque speciem tactus velut generis: & ideo commemorandum non esse tantquam sensum ab eo distinctum; quoniam in nulla diuisione species commemoratur ut membrum à suo genere diuersum. Etenim dubitationem hanc totam veteres interpretes iam pridem explicarunt: nec solum responderunt Alexander, Philoponus, & post eos S. Thomas, gustatum esse quidem tactum quemdam quoad sentiendi modum; quia non liter, quam tangendo, suum obiectum percipit, sicut & tactus: re ipsa tamen diuersam sentiendi

*Gustabile autem est quoddam tactile. Et hæc causa, ne sit sensibile per medium alienum corpus existens. Neque enim tactus.*

*vsu gustabile quoddam tactile, gustatus quidam tactus.*